ſect had a juſt and full number of prompt diſciples all over *England*, which would offer no worſe ſacrifice upon our publick *Altars*, then Hony and Wax, the good example of Piety, Devotion, *Arts* and *Induſtry*.

An Extract of a Latin *Letter, written by the learned* Signior Malpighi *to the Publiſher, concerning ſome* Anatomical *Obſervations, about the Structure of the* Lungs *of* Froggs, Tortoiſes, &c. *and perfecter Animals; as alſo the Texture of the* Spleen, *&c.*

DEſideratiſſimus de Reſpiratione Doctiſſimi Thruſtoni *libellus tandem ad meas devenit manus; ubi propugnatam vidi meam, de Pulmonum ſubſtantia* *, *ſententiam. Quapropter Te anxie rogo, ut ipſi meo nomine officioſam dicas ſalutem, plurimaſque eidem gratias agas pro ſpontanea & honorifica meorum dictorum tutela.*

* *Vid.* D. Thruſton. *in Diatriba de Reſpirationis Uſu primario*, p. 42. & p. 143. 144.

Miratus ſum valdè, Animadverſionum *Authori in Teſtudinum,* Lacertarum *& Ranarum Sectionibus non occurriſſe Commercium inter Bronchia, & Pulmones, quos* Veſiculas, *à laxitate exterioris Pulmonum membranæ obortas, vocat; cùm ſanè immiſſâ in Tracheam fiſtulâ, & ſimul inſufflato Aere, Pulmones, eidem Tracheæ appenſi, hinc inde circa Cor turgeant; quod & ad libitum animalis frequenter accidit: Hi etiam, dum Aere turgent, ſi filo innodentur ut ſicceſcant, ſecti patenter oculis Cellulas & Veſiculas, evidenter membraneas, exhibent. Et licèt in* Ranis *brevis ſit Bronchiorum proceſſus, à* Larynge *tamen bini ductus, ſemi-circularibus aliquot annulis conflati, in membraneas veſiculas hiant; atque ita ſuccedit Inſpiratio & Exſpiratio. At in* Teſtudine, Lacertis *& ſimilibus, oblonga Trachea in binos ſubdiviſa ramos, Aerem pulmonaribus Veſiculis ſubminiſtrat. Scio, in* Ranis, *propè os, hinc inde binas interdum turgentes erumpere* veſiculas *(procul tamen à Pulmonibus,) quæ buccæ ſunt Appendices, & Aere interdum, à pulmonibus in oris cavitatem Expiratione propulſo, foras exilire.*

Circa

Circa exaratos Pulmones reticularem Muſculum locari ſcias, cujus carneos plexus, ſinus, & veſiculas ambientes aliàs ruditer delineavi. Hujus mirabilis contextus patet in Ranis, & Lacertis præcipuè; nam multiplices carnei lacerti per longum producuntur, & tranſverſaliter elongatis fibris invicem continuantur; intermediæ verò areæ reticularibus carneis plexibus ulteriùs occupantur, non abſimili ritu ac in Arborum foliis accidit: Retis autem enarrata hæc minora ſpatia rectis poſtremo fibris, quaſi brevibus tendinibus, pervaduntur. Mirabilis hic Muſculus non exteriorem tantùm Pulmonum ambit regionem, ſed interiores quaſcunque veſiculas & ſinus circumdat, ita ut ſuo motu ſingulas pulmonis partes comprimendo, Expirationem Sonumque promoveat. Hæc eadem ſtructura in pulmonibus Perfectorum animalium proportionaliter obſervatur, & in Agnorum *extremis præcipuè lobulis, Aere turgidis, & adhuc mollibus, patet.*

Hujus occaſione communicandum Tibi duxi, Lienis *fibras, quæ tot ingenia torſere, nequaquam* nerveas (*quod & aliquando ipſe autumavi*) *ſed* carneas *eſſe, ita ut ex carneo exteriori involucro, & productis tranſverſaliter fibris, mirabilis fiat Muſculus, Lienis cellulas comprimens, quo ſanguis per Splenicum ramum propellatur non abſimili ſtructura ac ritu, qualis in grandioribus Cordis auriculis obſervatur: Carnei etenim lacerti, per tranſverſum ducti, ſuarum fibrarum implicatione Rete efformant, membraneas cellulas comprimens, ſuiſque extremis finibus, mirabiliter productis, carneum involucrum conſtituunt.*

Parùm abſimili ſtructurâ Equinos *præcipuè* Teſtes *Natura ditavit; interior quippe ipſorum tunica* Carneas *fibras, ſeu extenſum muſculum, in ſui meditullio, unà cum varicoſis vaſis continet, quæ diverſas inclinationes, ut in Liene, habentes, per tranſverſum productæ, & reticulariter implicitæ, Inteſtinulorum congeriem firmant & comprimunt. Pauca hæc & inordinata in mei amoris & obſequii teſtimonium habeas, precor. Vale, Dabam* Bononiæ *die* 20. Februarii 1671.